



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. II. Vtrum gratia habitualis habuerit rationem medij, seu dispositionis
physicæ, aut moralis, ad unionem hypostaticam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

& sibi propriâ, dicendum est, animam Christi fuisse prius naturâ assumptam, quam corpus & totam humanitatem, non solum ut quo, sed etiam ut quod. Ipsum verò corpus solum fuit prius naturâ assumptum ut quo, non verò ut quod, quàm tota humanitas; non enim eadem est ratio de corpore, ac de anima rationali; nam anima creatur à Deo per actionem specialem distinctam à generatione, vel productione totius, non autem corpus: unde quando generatur homo, datur animæ subsistentia independens à subsistentia totius humanitatis, non autem corpori, quod non subsistit, nec existit, nisi per subsistentiam & existentiam ipsius animæ rationalis.

9. Dices, Eundem prorsus ordinem servavit Verbum Divinum in prima assumptione humanitatis, ac in re assumptione facta in resurrectione, nulla enim videtur ratio disparitatis: At in resurrectione sic humanitas fuit reassumpta, ut tamen utraque ejus pars, anima scilicet & corpus, prius existerent & subsisterent ut quod: Ergo idem erit dicendum de prima assumptione.

10. Respondeo negando Majorem, nam in prima assumptione Verbum Divinum servavit, quantum fieri potuit, ordinem proportionatum ordini naturæ, juxta quem corpus non debuit prius assumi ut quod, cum propriâ subsistentiâ & existentiâ non gaudeat, sicut anima: At in re assumptione facta in resurrectione, non potuit iste ordo servari, quia dissoluta per mortem humanitate, utraque ejus pars ab invicem separata, subsistebat & existerat ut quod per subsistentiam & existentiam Verbi.

§. II.

Solvuntur objectiones.

11. **O**bjicies primò contra primam conclusionem: Assumptio facta est per communicationem divinæ subsistentiæ, quæ eodem modo & ordine debuit communicari humanitati, quo propria & connaturalis, ut enim supra dicebamus, non sunt multiplicanda miracula sine necessitate: Sed subsistentia creata prius convenit toti humanitati, quàm ejus partibus; quia convenit tantum partibus propter naturam totalem, & maximè parti materiali, quæ non potest subsistere nisi in toto: Ergo partes humanitatis non fuerunt prius assumptæ in executione, quàm tota humanitas.

12. Confirmatur: Personalitas Verbi Divini est perfecta & completa: Ergo prius naturâ debuit communicari substantiæ completæ, qualis est tota humanitas, quàm substantiæ incompletæ, qualis est anima rationalis, vel corpus, & per consequens partes non fuerunt prius naturâ assumptæ, quàm tota humanitas.

13. Ad objectionem respondeo, concessâ Majori, negando Minorem: Licet enim in compositis purè corporeis & materialibus, prius conveniat toti subsistere & existere, quàm ejus partibus; in homine, tamen prius in executione convenit partibus humanitatis subsistere & existere, quàm toti humanitati; animæ quidem rationali, quia creatur, creatio autem terminatur ad esse; corpori verò, quia prius naturâ informatur animâ rationali, subindeq; ejus subsistentiam & existentiam prius naturâ participat, quàm tota humanitas resulter: Unde pro illo priori, tam anima quàm corpus intelliguntur subsistere in seipsis, & non in toto, quamvis nullum sit reale instans, quo non subsistant in toto.

A Ad confirmationem, concessâ Antecedente, neganda est Consequentia; nam personalitas Verbi Divini, licet sit perfecta & completa, tamen ob infinitam suam perfectionem & eminentiam, potest uniri cuicunque substantiæ, sive completæ, sive incompletæ, eique se accommodare eodem modo ac si esset propria ejus & connaturalis, quia eminenter continet quamcumque personalitatem creatam. Unde in triduo mortis Christi mansit unitum animæ & corpori separatim, quamvis essent substantiæ partiales & incompletæ.

B Objicies secundò contra secundam conclusionem: Unam partem assumi posterius naturâ, quàm aliam, est eam assumi mediante illâ: At corpus non fuit assumptum mediante animâ: Ergo non fuit assumptum posterius naturâ, quàm illa. Major patet, Minor probatur. Si Verbum Divinum assumpsisset corpus mediante animâ, sequeretur quod hoc ipso quod per mortem separata fuisset anima à corpore, dissoluta fuisset unio ipsius corporis cum Verbo, quoties enim aliqua inter se ununtur aliquo medio, si unum separaretur ab altero, dissolvitur unio; sicut remota superficie, removeretur color à corpore, quia illi inest, mediante superficie: Consequens autem est falsum, quia corpus in triduo fuit separatum ab anima, & tamen mansit hypostaticè unitum Verbo Divino: Ergo Verbum non assumpsit corpus mediante animâ.

C Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem, ad cujus probationem negatur sequela, & ad illius probationem, dicendum cum S. Thoma hic art. 1. ad 3. quod nihil prohibet aliquid esse causam alicujus, quantum ad aptitudinem & congruitatem, quo tamen remoto illud non tollitur; quia etsi fieri alicujus dependeat ab aliquo, postquam tamen est in facto esse, ab eo non dependet: sicut si inter aliquos amicitia causatur, aliquo mediante, eo recedente, adhuc amicitia remanet; & si aliqua in matrimonium ducitur propter pulchritudinem, quæfuit congruitatem in muliere ad copulam conjugalem, tamen pulchritudine cessante, adhuc durat copula conjugalitatis. Et similiter separata anima, remanet unio Verbi ad carnem.

ARTICVLVS II.

Vtrum gratia habitualis habuerit rationem medij, seu dispositionis physice, aut moralis, ad unionem hypostaticam?

A **A**ffirmant Alensis, Gabriel, & alij antiqui Theologi, ex hoc inferentes solam naturam intellectualem, quæ est capax gratiæ & beatitudinis, posse assumi à Persona Divina. Negat verò D. Thomas hic art. 6. & quæst. sequenti art. 13. & supra quæst. 2. art. 10. quem sequuntur communiter Theologi, tam domestici, quàm extranei, cum quibus

Dico, gratiam habitualement in anima Christi existentem, non habuisse rationem medij, seu dispositionis physice, aut moralis, ad unionem hypostaticam cum Verbo: posse tamen dici medium congruentiæ respectu hujus unionis.

18. Prima pars probatur: Dispositio physica & ex natura rei, debet esse ejusdem ordinis cum forma ad quam disponit, & illam necessariò secum trahere, omniaque quæ illius introductionem impediunt destruere: Sed gratia habitualis non habet tres illas condiciones, respectu unionis hypostaticæ: Ergo non est, nec dici potest dispositio

dispositio physica, respectu illius. Major patet exemplo dispositionum naturalium, videmus enim calorem ut octo esse ejusdem ordinis cum forma ignis, illamque secum necessario trahere, & frigus ac humiditatem, quæ ejus introductionem impediunt, prorsus expellere. Minor verò suadet quantum ad singulas partes. Et in primis quod gratia non sit ejusdem ordinis cum unione hypostatica, patet: ordo enim hypostaticus est superior ad ordinem naturæ & gratiæ, & cum infinitam Verbi Divini personalitatem involvat, utrumque ordinem veluti in infinitum excedit. Quod verò gratia, nec hypostaticam unionem secum infallibiliter trahat, nec illius impedimenta destruat, facile suadet: nam gratia habitualis ordinatur tanquam ad finem ad beatitudinem, à cuius adeptione habet quod sit consummata; ad unionem verò personalem cum Verbo, nullo pacto ordinatur; unde quantumcunque gratia crescat in anima iusti, nunquam tamen infallibiliter habet junctam unionem illam hypostaticam. Insuper ut destrueret impedimenta talis unionis, necesse esset ut propriam naturæ creatæ personalitatem consumeret, essetque cum illa impossibilis: certum est autem gratiam sanctificantem id non præstare, sed potius illam, ut cætera dona supernaturalia, subiectum suum naturale perficere.

19. Probatur secundo eadem pars: Gratia habitualis est solum in anima, & tamen non solum anima Christi, sed etiam corpus ejus, unitum est divinæ personæ, propter quod dicitur plenitudo divinitatis habitasse in Christo corporaliter, ut docet D. Thomas supra quæst. 2. art. 10. ad 1. Ergo gratia sanctificans non est dispositio physica & ex natura rei ad unionem hypostaticam requisita. Addo quod quælibet natura, etiam irrationalis, assumptibilis est à Persona Divina, ut disputatione præcedenti ostensum est, & tamen natura irrationalis non est capax gratiæ habitualis, sicut nec gloriæ: Ergo &c.

20. Probatur etiam secunda pars conclusionis: Quælibet dispositio, etiam moralis, debet antecedere aliquo modo formam ad quam disponit: At gratia habitualis nullo modo antecedit unionem hypostaticam, sed illam subsequitur: Ergo non potest dici dispositio moralis, respectu illius. Major patet, nam dispositio moralis ea est, quæ ut existens movet intellectum & voluntatem agentis ad inducendam formam in subiecto: Ergo prius existit quam illa. Minor verò probatur à D. Thoma quæ sequenti art. 13. triplici ratione, & potest insuper suaderi, Christi anima eo naturæ ordine habuit subsistere in Verbo, quo de se debuisse subsistere propria subsistentiâ, si ab illo assumpta non esset: At si assumpta non fuisset ad subsistentiam Verbi Divini, prius naturâ habuisset subsistere suâ subsistentiâ, quam recipere gratiam sanctificantem, cum anima prius debeat compleri substantialiter, quam accidentaliter perfici per gratiam: Ergo etiam prius naturâ est, quod humanitas Christi per gratiam unionis in Christo subsistat, quam per gratiam habitualement sanctificetur, & perficiatur accidentaliter.

21. Addo quod, si gratia habitualis antecederet in aliquo priori temporis aut naturæ unionem hypostaticam, in illo priori constitueret Christum filium Dei adoptivum, & sic Christus prius esset filius Dei adoptivus, quam naturalis, quod est erroneum. Sequela probatur: Proprius effectus gratiæ habitualis est constituere subiectum suum,

Tom. IV.

A filium Dei adoptivum, nisi à filiatione naturali præveniat & impediatur: At si gratia habitualis præcederet in Christo gratiam unionis, non præveniretur, nec impediretur à filiatione naturali, ne constitueret Christum filium Dei adoptivum: Ergo Christus prius esset filius Dei adoptivus per gratiam habitualement, quam naturalis per unionem hypostaticam.

Confirmatur: Dispositio moralis illa dicitur, 22. cuius intuitu forma subiecto tribuitur: Sed gratia unionis non est concessa Christo intuitu gratiæ habitualis, sed potius è contra intuitu & ratione unionis hypostaticæ, data sunt Christo charismata omnium gratiarum, juxta illud Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti à Patre, plenum gratia & veritate.* Ubi ex filiatione naturali infert Evangelista plenitudinem omnium gratiarum, quæ in Christo ex unione personali cum Verbo, tanquam rivuli è fonte promanant. Quare gratia habitualis potest vocari medium congruentiæ, respectu unionis hypostaticæ, non quidem illam antecedens, sed consequens; in quantum scilicet decens & congruum fuit, quod Verbum Divinum assumeret humanitatem repletam gratiâ, & omnibus virtutibus ad donis exornatam: sicut in Virgine Principi desponsata, annuli, jocalia, & cæteri ornatus, possunt dici medium congruentiæ, in quantum reddunt illam Principi congruam. Unde S. Doctor in 3. dist. 2. quæst. 2. art. 2. in corp. *In natura humana inveniuntur quadam superaddita, quibus redditur decens ut assumatur à Divina Persona, ut scientia, virtutes, & hujusmodi, unde ista possunt quodammodo dici medium congruentiæ.* Et ibidem ad Annibaldum quæst. unica art. 1. sic ait: *Loquendo de medio congruentiæ (Verbum Divinum) animam mediane gratiæ assumptam, quia congruum erat animam suâ imagine insignitam, & gratiâ repletam assumere.* Item quæst. 29. de verit. art. 2. expressè asserit, quod gratia habitualis fuit dispositio per modum congruitatis ad unionem hypostaticam humanitatis Christi cum Verbo. Ex quibus probata manet tertia pars nostræ conclusionis.

Obijcies contra primam partem: Omne quod elevatur ad formam naturam suam excedentem, debet prius aliquâ dispositione præparari, & reddi capax illius, ut docet Divus Thomas 1. part. quæst. 12. art. 5. & explicat exemplo æris, aer enim ut recipiat formam ignis, quæ est supra ejus naturam, debet disponi ad illam per calorem excedentem suam naturam, & corpus ut recipiat formam lucis, debet disponi per diaphaneitatem: Sed unio hypostatica est supra naturam humanitatis Christi: Ergo ut ad illam eleveetur, debet aliquâ dispositione præparari & coaptari, quæ nulla alia esse potest quam gratia habitualis.

Confirmatur primò: Ut divina essentia per modum speciei uniatur intellectui creato, oportet quod ipse intellectus ad talem unionem disponatur per lumen gloriæ, ut docet D. Thomas loco citato: Ergo cum humanitas non miris distet à divina subsistentia & personalitate, ut ipsi conjugatur per unionem hypostaticam, oportet quod per gratiam habitualement ad illam disponatur & præparetur.

Confirmatur secundo: Ordo divinæ sapientiæ postulat ut quæ maximè distant non uniantur immediatè, sed per aliquid quod minis distet ab utroque extremo, teneatque medium

XXX

locum inter illa: At humanitas & personalitas Verbi Divini, maximè distant inter se, & inter illas medium locum tenet gratia habitualis: Ergo humanitas non fuit unita immediatè Verbo, sed medià ipsà gratià. Major patet, nam ab extremo in extremum non fit transitus sine medio. Minor verò probatur: Humanitas est substantia aliqua finita, ordinisque naturalis, & personalitas Verbi est quid infinitum, & ordinis supernaturalis: Gratia verò habitualis, licet sit entitas aliqua finita, est tamen supernaturalis, & perfectissima participatio divinæ naturæ: Ergo medium tenet locum inter humanitatem Christi, & personalitatem ejus.

26. Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem: Quod elevatur ad formam per quam constituitur in ratione operantis, & à qua habet solum esse secundum quid, concedo Majorem. Si elevetur ad formam, per quam constituitur in ratione hypostasis seu personæ, & à qua habet esse simpliciter & personale, nego.

Explicatur solutio: Si natura aliqua elevetur in ordine ad operationem, debet disponi per habitum, vel per aliquid aliud quod potentiam compleat in actu primo; sicut lumen gloriæ elevat intellectum beati ad operationem ad quam natura intellectiva non est sufficienter completa, nimirum ad visionem beatificam. Si autem natura elevetur ad esse simpliciter, ad quod immediatum ordinem habet, non est necesse quod prius recipiat aliquem habitum aut dispositionem per quam compleatur. Unde quia substantia creata immediatum ordinem habet ad subsistentiam à qua recipit esse simpliciter, nullà eget dispositione ad illam, neque ad aliam loco propriæ suscipiendam: quapropter ut humanitas Christi, personalitati Verbi uniatur, nullà eget dispositione & præparatione, sed sola potentia obedientialis ad illam recipiendam sufficit.

27. Hinc patet solutio ad primam confirmationem, & disparitas quæ reperitur inter essentiam divinam, ut gerentem vices speciei in visione beatifica, & inter subsistentiam Verbi Divini, ut terminantem humanitatem Christi: Nam essentia divina, cum unitur intellectui creato per modum speciei, unitur illi per modum comprincipij visionis beatificæ, & consequenter debet supponere ipsum intellectum potentem in suo genere, nimirum per modum potentie, ad eliciendam talem operationem; species enim non unitur nisi potentie jam habenti sufficientem virtutem in suo genere ad eliciendum actum ad quem determinatur per ipsam: intellectus autem creatus non habet sufficientem virtutem in suo genere ad eliciendam visionem Dei, nisi per lumen gloriæ, ut in Tractatu de visione beatifica ostensum est. Cæterum personalitas Verbi unitur humanitati Christi, per modum complementi & termini illius in genere substantiæ, ac proinde immediatè, & antecedenter ad quodcumque accidens disponens ad talem unionem.

28. Ad secundam confirmationem, distinguo Majorem: Ordo divinæ sapientiæ postulat ut quæ maximè distant non uniantur immediatè, si illa inter se comparentur per modum potentie & actus, seu operativi & operationis, concedo Majorem. Si se habeant per modum terminantis & terminabilis, nego Majorem; nam illa quæ sic comparantur, habent immediatum ordinem, præfertim quando id quod terminat dat esse simpliciter, ut contingit in proposito; subsistentia enim

Verbi dat humanitati esse simpliciter, subindeque natura humana nullo indiget habitu aut dispositione, per quam compleatur & præparetur ad illam recipiendam, sed sola potentia obedientialis sufficit, ut supra ostendimus.



DISPUTATIO XI.

De Gratia Christi substantiali.

Hæcenus de Incarnationis mysterio, seu de unionis hypostatica, & extremis ad illam concurrentibus, personā nempe Verbi assumente, & naturā humanā assumptā. Agendum modò est de concomitantibus talem unionem, quorum aliqua pertinent ad perfectionem, ut gratia, scientia, & potentia animæ Christi; alia verò ad defectus corporis & animæ, quos Christus in humana natura assumpsit. Porro gratia Christi, de qua disserit S. Doctor quæst. 7. & 8. duplex est; altera substantialis, nempe unio Verbi cum natura humana, per quam humanitas Christi infinitè sanctificatur; altera accidentalis, seu habitualis, quæ non solum animam Christi sanctificat, sed etiam à Christo ut capite & vite, in alios sanctos, ut in membra & palmites derivatur, unde à Theologis in personalem & capitalem distinguitur. Antequam ergo de scientia & potentia animæ Christi disseramus, agendum est de triplici ejus gratia, quam D. Joannes capite primo sui Evangelij breviter insinuat. Nam de gratia substantiali & unionis dicit: *Verbum caro factum est*. De gratia Christi, ut singularis personæ, subdit: *Vidimus eum plenum gratia & veritatis*. Denique gratia capitalis illius insinuat, cum infra dicitur: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*.

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum humanitas Christi sanctificetur formaliter per aliquid donum substantiale à gratia habituali distinctum?

Partem negativam tenent Paludanus in 3. dist. 13. quæst. 2. conclus. 1. Durandus eadem dist. quæst. 1. num. 8. & Rada 3. part. controuv. 4. art. 3. conclus. 4. ubi ait esse Scotis communem. Sententia tamen affirmans apud alios Theologos, tam domesticos, quam extraneos communis est, & colligitur ex Conciliis & SS. Patribus, atque insinuat à D. Thoma variis in locis, paragrapho sequenti referendis.

§. II.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur: Humanitas Christi Domini est grata & sancta formaliter, per aliquod donum substantiale, à gratia habituali distinctum, nimirum per gratiam unionis.

Colligitur ex D. Thoma hic quæst. 7. art. 1. ubi ostendit necessitatem gratiæ habitualis in anima Christi Domini, primò ex propinquitate illius ad Verbum, secundò ut esset connaturaliter principium cognitionis & amoris in ordine supernaturali, tertio ex habitudine ipsius Christi ad genus humanum, cujus est caput; non autem probat necessitatem gratiæ ex eo quod in Christo re-